

praesumat pannos laneos incidere in dicta civitate nostra, nisi velut mercator in loco venditioni deputato hoc faciat in venditorio memorato. Praeterea ex consensu et petitione speciali dictorum civium nostrorum inhibemus, ne quis alium aut alterius generis pannum aut pannos incidat ad vendendum in inferiori parte sive loco dicti venditorii, nisi tantum hunc aut talem, qui in dicta civitate nostra sit textus sive factus, in superiori autem parte dicti venditorii panni de Gint et alii panni colorati sunt incidendi pariter et vendendi. Ceterum nolumus et expressius inhibemus, ne aliquis hospes vel civis ad dictam civitatem nostram pannos diminutos sive curtatos, vulgariter qui weppechin appellantur, afferat sive ducat. Insuper statuimus volumus et mandamus, ut panni tennues, qui wariftuich vulgari dicuntur nomine, tantum incidi debeant in superiori parte dicti venditorii ad vendendum et nusquam alias, nec apud institores aut factores in dicta civitate nostra. Ne autem alicui in posterum super dicta donatione nostra atque praefatis statutis nostris dubium oriatur aut ab aliquo successorum nostrorum mutari valeant aut infringi, praesens scriptum civibus dictae civitatis nostrae in testimonium dari iussimus sigilli nostri munimine roboratum. Datum et actum Dresden anno domini millesimo ducentesimo XC^o quinto sexto Nonas Septembris. Testes huius sunt vir strenuus dominus Hermannus de Schonenburg, Heynemannus de Nuwendorf, Cunradus Hunricus, Lusche de Rypin milites, Hermannus de Ysenberc et quamplures alii fide digni.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Dresden mit dem wohl erhaltenen Siegel an Fäden von rother und gelber Seide.

Hasche Urkundenb. S. 45. — Neubert Vortr. üb. d. Rechtsverhältn. d. alt. Elbbr. S. 150.

No. 12. 1297. 3. Oct.

Friedrich Herr von Dresden vererbt einen seit Jahren trocken liegenden Raum am obersten Theile des vor dem Frauenthore gelegenen Sees an genannte Bürger gegen Zahlung einer Kaufsumme von 16 Mark.

Fridericus dei gratia dominus de Dresden omnibus praesentes visuris salutem et notitiam subscriptorum. Cum in quibuslibet rebus sive negotiis memoria dignis quam plurimos ex diuturno temporis intervallo mentis oblivio creberrime ducat in errorem, salubri traditum est consilio et doctrina, ut ea quae ab hominibus rite et rationabiliter acta sunt ad eorum perpetuam memoriam scripturarum testimonio roborentur. Hinc est quod universis tam praesentis aevi quam futuri Christi fidelibus cupimus esse notum, quod cum olim dilecti domini ac patris nostri Heinrici felicis recordationis quondam Misnensis et Orientalis marchionis temporibus in summitate lacus nostri, qui est ante valvam Dominae nostrae civitatis nostrae Dresden, aliqua pars eiusdem lacus annis iacuisset pluribus exsiccata, ita quod nulla penitus ex illa parte nobis proveniret utilitas sive fructus, nos de maturo fidelium nostrorum consilio eandem partem dicti lacus, quae incipit ab una parte a fine agri Hermanni de Schonenburne, ubi signum quod vulgari nomine rein vocatur apparet, et protenditur ultra dictam partem praedicti lacus directe usque ad aliam partem dicti agri Hermanni de